



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

3. Quinam huius vitij effectus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

damus amicitiam? inde solum, quia parum nos mutuo pernouimus, quia velatos habemus oculos, quia vespertilioes ac noctuæ sumus, quæ solis fulgore perstringuntur. ut igitur recte te ames ac cures, te ipsum noueris, necesse est, ut te ipsum cognoscas, tibi intra te descendendum est. Narcissus adolescens, nunquam æque se amauit, atque cum in lucidissimo fonte reuerberatam sui aspexit speciem. ecce mala ex nostri ignorantia enata, si placet effecta etiam eius mecum percurrere, & iamiam absoluero.

III.

Quæ effecta ignorantiam nostri consequantur.

Qvis ignorat hominem sui negligentem, nec unquam reuertentem in se, mille curiosis, vanis, inanisque rebus occupari, ut aliena discat, & noscat vitia? Quare hoc? quia videlicet humanus intellectus sicut & stomachus otiosi non possunt. Natura sua discendi cupidus est, sitiens veritatem & scientias, proprium ipsius obiectum. Si itaque veritatem ac notitiam tui, ei non ingeras, quæret aliquid aliunde; militibus ac deplumatis nobilibus simillimus, qui nihil præter gladium habent & pallium, & ex raptu fere viuunt, si hic pax est, aut induciæ, ad bella currunt Hungarica, aut alio, ut ibi omnia misceant, turbentque pacem Reipublicæ. sic & animus noster non detentus sui indagine, aliorum statim erumpit, sua in dorsum reijcit, infirmitates delictaque aliorum circumfert in fronte ac pectore, ne unquam recedant ab oculis (melius impleteret illud, *erit vita tua ante oculos tuos pendens*, aut, *anima mea in manibus meis semper*) ac talis aliquando euadit, quales aiunt Feas ac Lamias quæ in suis cæcæ, nihil quid domi geratur, vident, perspicacissimæ tamen foris, vbi vident omnia acutissime. Acciditque illis iuxta Plutarchum, quod *Plutarch. tract. de Curiosit.* hominibus, quibus res domi turbata sunt, parumque commodæ, qui aut fumo, aut vxorum querimonijs, aut spectris laruisque exterriti, alia parte se efferunt,

*D. Hieron.
ep. ad Ru-
sticum de
forma vi-
uendi tom. 1.*

vt suam ita transigant molestiam, ideoque optime
S. Hieronymus, nec inconuenienter huic loco. *Sem-
per aliquid operis facito, vt diabolus te occupatum inueni-
at: alioquin enim te porrectis inueniens vacante
manibus, nimium interea tibi agglomerabit pe-
sum. exerce te in tui notitia, vt diabolus videns te
intentum, in vitas aliorum te non efferat.*

Intellectus enim noster ex sui incuria ad aliorum
translatus negotia, non ibi cessat, (conueniendum e-
nim hoc forte non nihil) sed ulterius progreditur, ad
delationes, detractiones, murmura, dicteria & quo
non? hinc iam suspiciones mala, iudicia temeraria, &
iam his, iam illis occupata garrulitas. nonne hoc est
grauem esse proximo? qui autem seipsum cognoscit,
dicet cum Seneca: quando mihi ridere lubet, aut stul-
tum illudere, non ille mihi longe accersendus, sed le-
do, rideoque me ipsum.

Hinc etiam impatientia enascitur contra Deum
in aduersitatibus, contra proximum, quando iniuria,
calumnia, ignominiaque aliqua tangimur. Quia ni-
mirum iniuriam ac improprium æstimamus, quod
alioqui iudicaremus esse æquissimum delictorum
nostrorum præmium, si in nos reuersi, in vitæ nostræ
cognitione bene essemus versati. diceremus, rebus
non ex sententia succedentibus, quod Iosephi fratres,

*D. Hieron.
Barth. Pisa.
lib. Confor-
mitatum.* profecti in Ægyptum, merito hac patimur, quia pecca-
uimus in fratrem nostrum, aut, quicquid patimur, peccata
nostra meruerunt. ingereremus nos molestijs & op-
probrijs, totum ad illa aperiremus sinum, tanquam
gemmas accepturi pretiosas, vt fecit aliquan-
do Sanctus quidam ordinis San-
cti Francisci.